Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2321
Quelle:
Copyright:

Philomena preuia temporis ameni
Que recessum nuncians ymbris atque ceni &c.

Est *Job. Pechami* s. *Peckhami* O. M. Archiep. *Cantuar.* cujus fortasse plura sunt in hoc *Cod.* contenta. Vide *Tanneri Bibl. Brit. Hib.* p. 586. Sunt et, qui *Bonaventurae*, et, qui *Job. Hovedeno* tribuant.

XVIII. *fol.* 104. *Biblia Rigmica*, et e calce, *dictata a fratre Theobaldo Creten. Ordinis predicatorum.* Initium:

Uerbum a principio procedens eterno
Quod cuncta consilio creasti superno &c.

Adi *Cod.* CXXXV. ubi isthaec Επιτομη sub *Thomae Aquin.* nomine comparuit. Ordinis *Bibliothecarii* de illa a Nostris certiores facti, et *Theobaldum* hunc ignorantes *Retensem Germanum* credere maluere pro *Cretensi.* Vide T. illorum II. p. 821.

XIX. *fol.* 118. et inde ad *Codicis* finem Rhythmi sacri varii, quorum potiores indicabo: 1. Prooemium illud *Speculi Salvationis humanae*, quod dedi *Cod.* DLXXXI. n. 4.

Qui ad iusticiam erudiunt multos fulgebunt
Quasi stelle in perpetuas eternitates et lucebunt &c.

Prooemium alterum abest, et *Speculi* ipsius non nisi primi duo Rhythmi comparent. 2. *Meditationes salutares secundum diversos effectus corporis christi*, quas ordinasse dicitur *Reuerendus Magister dominus Johannes de Sichem Archiep. Cantuarien. O. M. Et primo secundum rationem sacrificij:*

Ave vivens hostia veritas et vita
In qua sacrificia cuncta sunt finita &c.

Sunt Τετρασιχα XV. Scribendum erat *Johannes de Peckham*, inter cujus Scripta etiam hi Rhythmi censentur in *Tanneri Bibl. Brit. Hib.* p. 585. Obiit doctus hic Praesul a. 1292. 3. Inter Orationes varias legitur haec *Ad sanctum Julianum pro bono Hospicio. Deus qui das iumentis escam ipsorum et pullis coruorum inuocantibus te, concede propicius ut per intercessionem sancti Juliani martiris tui, quem hospitalitatis gratia sublimasti, huius diei ac noctis necessaria, et vite eterne suffragia subministres. Per christum* &c. Alia item *Contra febres* sub invocatione *Sigismundi* regis

et